



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Scholastica

Mayr, Anton

MDCCXXXII

Art. IV. An Actus Charitatis formaliter justificet.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84303](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84303)

tur physicè ab actibus: sed meritorie, seu movendo DEUM ad ponendum augmentum: quæ est lata disparitas; nam habitus acquisiti physicè augentur ab actibus; unde, licet isti non intenderentur physicè ab actibus remissis, possent illi intendi meritorie. Sed etiam antecedens est probabiliter falsum, præsertim in mea sententia, quæ cum multis docet, habitus acquisitos stare in speciebus multiplicatis, & ordinatis, &c. nam species istæ multiplicantur etiam per actus remissos.

Ad 2. confir. conc. totum. Etiam augmentum gratiæ, ratione actuum remissorum dandum, non debet esse majus, quàm sit gradus dispositionis: non autem video, cur non possit propterea gratia augeri; quo enim in sensu ille, qui jam habet plures gradus gratiæ, non sit dispositus ad alios novos gradus gratiæ? non enim potest talis dici positivè impeditus; quia potest recipere alios gradus, saltem si intensius operetur: neque potest dici negativè non dispositus, hoc est, non habens dispositionem positivam, in his circumstantiis requisitam, sive actum intensiorem; est enim vel maxime in quæstione, an, qui jam habet habitum gratiæ intensiorem, non sit dispositus, ad novos gradus gratiæ recipiendos, ratione actus remissi: & negatur à nobis, quòd non sit dispositus: sicut etiam negatur, quòd dispositio, seu actus, debeat esse intensior, quàm gratia præcedens.

773. Ob. 2. Juxta nos deberet admitti augmentum gratiæ in infinitum: hoc est absurdum: ergo, prob. ma. duret actus remissus per quadrantem horæ: hic quadrans involvit infinitas partes proportionales indivisibiles, in quibus stat continuum temporis: ergo in qualibet tali parte, vel instanti augetur meritum: ergo in infinitum. Resp. 1. retorqueo argumentum in actus intensos ita durantes. Reponunt quidem contrarii auctores, quòd aliquis per durationem actuum non plus mereatur: at hoc ipsum Haunoldus l. 3. n. 565. meritò videtur esse contra sensum fidelium. Dein, si quis non meretur plus per durationem actus intensi, neque merebitur plus per durationem actus remissi. Resp. 2. ex hoc ipso absurdo, quòd intra quadrantem horæ esset tempus infinitum, meritò hanc sententiam de continuo rejici.

774. Resp. 3. si non sit absurdum, quòd quadrans horæ sit tempus infinitum, etiam eodem modo non fore absurdum, quòd ratione durationis, talis actus sit infinitus; & præmium ejus infinitum. Verùm nemo dicit (nisi ridiculam de nomine quæstionem faciat) quadrantem horæ esse tempus simpliciter infinitum; quia intra quadrantem non dantur categorematice infinita instantia, æqualia uni certo (saltem negant patroni continui divisibilis in infinitum, sequi ista ex eorum sententia: & si admitterent, eo ipso essent deferendi) & hinc pariter neque dabuntur categorematice infiniti gradus gratiæ, aut charitatis in

actu per quadrantem durante. Ex illis autem indivisibilibus proportionalibus particulis gratiæ, & charitatis, ita poterit fieri unus certus gradus, vel numerus graduum gratiæ, & charitatis, sicut in hac opinione de continuo potest fieri ex talibus infinitis partibus temporis unus quadrans horæ.

Hæc dicta sint ex suppositione, quòd continuum constet ex infinitis partibus, quæ suppositio tamen mihi est falsa; nam juxta me continuum componitur non ex partibus realiter, aut virtualiter divisibilibus in infinitum, sed tantum divisibilibus usque ad numerum aliquem finitum. Unde si etiam intra quadrantem nunquam interrumpatur actus liber, & meritorius (quod tamen creditu est valde difficile) respondebit ei augmentum gratiæ, & charitatis divisibile: at non in partes infinitas, sed finitas, easque majores, vel minores, pro merito actus: quæ partes dein componunt illud augmentum, seu illum gradum, vel illos gradus gratiæ, aut charitatis, ad quos se extendit meritum totius actus.

ARTICULUS IV.

An Actus Charitatis formaliter justificet.

775. **N**on queritur hæc, an actus charitatis perfectæ (quem explicavimus n. 745.) justificationem, seu statum gratiæ, & amicitiae DEI; causet dispositivè, seu tanquam dispositio, qua posita justificatio à DEO conferatur; hoc enim interim supponitur probandum in tract. de penit. an. 205. ubi agitur de contritione perfecta ex amore DEI super omnia. Sed queritur, an actus charitatis, seu contritionis perfectæ, sit causa formalis justificationis, seu sit ipsa forma denominans justum, sicut albedo est forma denominans album: in qua quæstione sibi oppositi sunt Suarez, & Vasquez.

776. Et Vasquez quidem in 1. 2. tom. 2. disp. 203. per totam fusè contendit, probabiliter in adultis justificationem fieri formaliter per ipsum actum contritionis. Citat pro se aliquos, qui, ut ibi videre est, saltem in quibusdam principiis cum eo conveniunt. Secuti eum postea sunt Turrianus, alias Vasquii sectator ferè perpetuus, Gaspar Hurtadus, & alii non multi. Atverò Suarez tom. 1. in 3. p. disp. 4. sec. 8. oppositum tradit, etque longè plures consentiunt, inter quos Tannerus tom. 2. disp. 6. q. 5. dub. 2. n. 39. ait, hanc sententiam esse communem Theologorum, tam veterum, quàm recentiorum, contrariam verò novam. Gonetius tom. 4. tract. 9. disp. 1. de just. peccatoris a. 3. n. 42. ait, Vasquii sententiam communiter rejici à Theologis. Haunoldus l. 2. tr. 3. c. 1. controuv. 7. n. 690. asserit, ita antiquiores sentire, Scotum, Durandum, Paludanum, Gabrielem, quos secuti sint alii Henriquez, Coninck, Grana-dus, Oviedo & alii. Imò ipse Vasquez loc. cit.

cit. c. 3. n. 19. fatetur, hanc secundam opinionem communem, & probabiliorē esse.

777. Dico itaque cum hac secunda sententia. Actus charitatis non iustificat formaliter. Prob. Sacra Scriptura verē poenitentibus, & perfectē contritis, promittunt remissionem peccati, & admissionem ad amicitiam DEI: ergo actus contritionis perfectæ (qui debet esse actus charitatis perfectæ) non est formaliter remissio peccati, aut iustificatio. conseq. non videtur posse negari; non enim promittitur res ob seipsam: & si cut esset ridiculum dicere: *Promitto tibi divitias, si eas habueris*: ita etiam ridiculum foret dicere: *Promitto tibi remissionem peccati, & justificationem, si eam jam habueris, sive si eliceris actum charitatis, qui sit iustificatio formalis*. Certe promissio sub aliqua conditione supponit, eam conditionem esse aliquid antecedens, distinctum à re promissa, tanquam subsequente. Nec dicas, justificationem ex Tridentino sess. 6. c. 7. non esse solam remissionem peccati; nam, licet iustificatio non sit sola remissio peccati, sed adhuc aliquid aliud, tamen iustificatio non datur ante remissionem peccati; unde, si actus charitatis nondum est remissio peccati, multò minùs erit ipsa iustificatio tota.

778. Prob. jam ant. nempe in Scripturis promitti poenitentibus, & contritis, remissionem peccati, adducendo aliquot textus. Sic dicitur Ezechiel, 18. v. 21. *Si autem impius egerit poenitentiam . . . omnium iniquitatum ejus non recordabor.* & c. 33. habentur ferme eadem verba. item Zacharia. 1. v. 3. *Convertimini ad me, ait Dominus exercituum, & ego convertar ad vos.* & Jerem. 18. v. 3. *Si poenitentiam egerit gens illa à malo suo, quod locutus sum adversus eam, agam & ego poenitentiam super malo, quod cogitavi, ut facerem ei:* ubi, licet etiam promittatur remissio poenarum temporalium, tamen (ut teste Suarez loc. cit. n. 776. omnes expositores intelligunt) promittitur etiam remissio culpæ, & poenæ æternæ: & similes S. Scripturæ textus plures passim occurrunt: sed in his promittitur poenitentibus remissio peccatorum, quæ est pars justificationis, & ante quam justificatio non datur: ergo.

779. Confir. SS. Patres omnino universaliter dicunt, quòd omnibus verē poenitentibus (intra quos etiam sunt perfectē contriti) promissa sit à DEO remissio peccatorum, & justificatio: ergo juxta SS. Patres remissio quoque peccati, & justificatio, est distincta à contritione perfectæ, seu actu charitatis. ant. prob. sic S. Augustinus enarratione in psalm. 144. circa medium ait: *DEUS conversioni tuæ indulgentiam promissit: sed dilationi tuæ diem crastinum non promissit.* S. Leo. ep. decretali 91. ad Theodorum Episcop. Forojulienf. *Misericordia DEI, nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur veniam moras vera conversio.* S. Hieronymus epist. 46. ad Rusticum c. 3. de poenitentia, seu fle-

R. P. Ant. Mayr. Theol. Tom. I.

tibus poenitentiae ait: *Quos qui habuerit, & dixerit cum Jeremia: Non sileat pupilla oculi mei, statim in illo complebitur: Misericordia, & veritas obviaverunt sibi.* S. Ambrosius l. 1. de poenit. c. 4. *Expectat DEUS gemitus nostros, sed temporales, ut remittat perpetuos: expectat lacrymas nostras, ut profundat pietatem suam . . . expectat conversionem nostram, ut revertatur & ipse ad gratiam.* Plura vide apud Suarez loc. cit. quamvis ex his solis sufficienter colligi possit, SS. Patres sensisse, poenitentiae, etiam perfectæ, seu charitate formatae, aut actui charitatis, tanquam alicui dispositioni, respondere veniam peccatorum, & justificationem, tanquam effectum, adeoque eam ab actu charitatis distingui.

780. Prob. Conclusio. 2. ex variis locis Concilij Tridentini. Primò Concilium sess. 6. c. 5. ait: *Ut, qui per peccata à DEO aversi erant, per ejus excitantem, atque adjuvantem gratiam, ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem, eidem gratiæ libere assentiendo, & cooperando, disponantur:* ergo actus, quibus liberum arbitrium gratiæ excitanti, & adjuvanti, assentitur (inter quos est etiam actus charitatis; nullus enim à Concilio excipitur) disponunt ad justificationem: atqui nihil disponit ad seipsum: ergo actus charitatis non est ipsa justificatio, seu forma iustificans. Secundò eadem sess. can. 3. sic habetur. *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus S. inspiratione, atque ejus adiutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut poenitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit:* ergo apertè supponit Concilium, dilectionem quamcunque esse distinctam à justificatione, & esse dispositionem ad justificationem; alias sic ineptè definiret: *Non potest quis sine ope Spiritus S. dilectionem, seu justificationis gratiam, elicere, ut ei justificationis gratia conferatur.*

781. Terriò eadem sess. 6. c. 7. sic docetur: *Demum unica formalis causa justificationis est justitia DEI, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit.* & infra in fine capituli: *Itaque veram, & Christianam justitiam accipientes, eam, seu primam stulam pro illa, quam Adam sua inobedientiâ, sibi, & nobis, perdidit, per Christum Jesum illis donatam, candidam, & immaculatam, jubentur statim renati conservare, ut eam perferant ante tribunal Domini:* ergo formalis causa justificationis, quæ est ipsissima formalis justificatio, est aliquid ex se permanens in homine, quod ab ipso debet conservari in diem judicii: hoc autem non convenit actui transeunti, ut optimè observat Suarez, nisi omnia tortis interpretationibus obfuscentur; cum actus nec moraliter dici possit, tamdiu conservari, sed tantum ejus meritum, vel demeritum: & multò minùs actus possit physicè tamdiu conservari: quam tamen physicam conservationem debemus intelligere, quando (ut hîc fit) nulla prorsus ratio in oppositum urget.

E c

782.

782. Quartò iterum *sess. 14. c. 4.* sic definit Tridentinum: *Fuit autem quovis tempore, ad impetrandam veniam peccatorum, hic contritionis motus necessarius: & in homine, post baptismum lapsò, ita demum preparat ad remissionem peccatorum, si cum fiducia Divina misericordiae, & voto præstandi reliqua, conjunctus sit, quæ ad rite suscipiendum hoc sacramentum requiruntur:* ergo motus contritionis est necessarius, ad impetrandam veniam, & preparat ad remissionem peccatorum: adeoque non est ipsa justificatio; nihil enim est necessarium ad impetrandum seipsum, aut preparat ad seipsum.

Nec dicas, Concilium tantum loqui de contritione imperfecta, seu attritione; clarum enim est, quòd loquatur de contritione in genere, & intelligat utramque in specie: atque ita Theologi omnes Concilium explicant in *tract. de pœnit.* agendo de contritione: & patet legenti citatum caput; nam postea additur: *Et si contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque DEO reconciliare, priusquam hoc sacramentum actu suscipiatur:* quæ verba nemo explicat de contritione imperfecta, seu attritione: bene verò sequentia: *Illam verò contritionem imperfectam &c.* ergo utraque contritio, quamvis diverso modo, impetrat veniam, & preparat ad remissionem, adeoque neutra est ipsa justificatio. Tandem conclusio validè probatur negativè; quia nulla ratio probat, actum charitatis esse formam justificantem, qualis tamen afferri deberet à positivè id asserentibus.

ARTICULUS V.

Solvuntur Objectiones.

783. **O**B. 1. Scripturæ sæpe adscribunt actui charitatis remissionem peccatorum, justificationem, sanctitatem, conjunctionem cum DEO &c: ergo ipsa est forma justificans, ant. prob. allatis textibus. *Luc. 7. v. 47. Remittuntur ei peccata multa; quoniam dilexit multum. 1. Petri 4. v. 8. Charitas operit multitudinem peccatorum. Joan. 14. v. 23. Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus:* ergo. Resp. S. Scriptura etiam dicit de charitate *1. Cor. 13. v. 7. Omnia credit, omnia sperat &c.* quin actus charitatis sit formaliter actus fidei, aut spei. item *Jacob. 2. v. 24. dicitur: Ex operibus justificatur homo;* quin opera sint forma justificans.

Unde locutiones istæ sunt tropicæ, seu per metonymiam dictæ, sumendo causam pro effectu, quod frequentissimum est in Scripturis: & sic interpretes communiter hos textus exponunt. In forma dist. ant. Scripturæ adscribunt actui charitatis remissionem peccatorum &c. tanquam causæ. conc.

ant. tanquam formæ. neg. ant. & conf. ad prob. neg. conf. Textus illi, etiam in sensu proprio accepti, significant tantum causam, & non formam; nam utique etiam remittuntur peccata à DEO; licet ipse non sit formalis remissio: & donans vestem operit alterum, licet non sit operimentum: atque propter invitationem alterius venimus in domum illius, licet invitatio non sit adventus.

784. Ob. 2. SS. Patres sæpe tribuunt charitati vim remittendi peccata, vel ea destruendi, & eam comparant, e. g. igni consumenti sylvam, aut rubiginem ferri, ut loquuntur SS. Gregorius, & Chrysostomus apud Vasquium in *1. 2. disp. 203. c. 4. n. 34.* quorum similia habent alii: ergo charitas est forma expellens peccatum. Confir. 1. S. Bernardus *l. de modo bene vivendi c. 4. de timore DEI post medium ait: Perfecta etenim charitas perfecta est sanctitas:* ergo charitas perfecta est justificatio. Confir. 2. S. Augustinus. *de natur. & grat. c. 42. ait de charitate: Ipsa est enim verissima, plenissima, perfectissimaque justitia. & c. 70. seu ultimo. Charitas ergo inchoata inchoata justitia est, charitas provec̃ta provec̃ta justitia est, charitas magna magna justitia est, charitas perfecta perfecta justitia est:* & loquitur non de habitu charitatis, sed de actu, ut patet legenti contextum: ergo justitia, & actus charitatis sunt formaliter idem.

785. Resp. neg. conf. Imò, sicut ignis est tantum causa combustionis, vel consumptionis, ita ad mentem SS. Patrum actus charitatis est tantum causa justificationis, vel tantum est dispositio ad eam. Dein SS. Patrum comparationes non semper sunt ad omnem literam accipiendæ, sed eorum dicta sæpe in sensu metaphorico, vel allegorico sunt intelligenda: certè S. Gregorius loco objecto, scilicet *homil. 33. in Evangelia ait: Quid, fratres mei, esse dilectionem credimus, nisi ignem?* quod dictum utique literaliter accipi nequit.

Ad confir. dist. ant. charitas est sanctitas in sensu literal. neg. ant. in sensu tropico. conc. anteced. & sub eadem distinctione conc. vel neg. conf. Certè S. Bernardus in verbis immediatè antecedentibus utitur tropo; ait enim: *Timor isse* (loquitur de fervili, quem charitas foras mittit) *sanctus est; quia in mente hominis generat sanctitatem:* certè timor literaliter non generat sanctitatem, aut charitatem: sed tantum tanquam actus imperans determinat voluntatem, ad actum charitatis eliciendum: sicut autem hæc tantum dicta sunt tropicè, ita & sequentia: *Perfecta etenim charitas perfecta est sanctitas;* licet enim charitas, & sanctitas, non sint realiter idem, sunt tamen connectæ, & in communi modo loquendi sæpe unum connexum dicitur esse alterum: sic sæpe dicimus: *Hoc iter fuit ejus mors:* vel: *fuit ejus promotio ad dignitatem.*

786. Ad 2. confir. dist. ant. eodem modo dictum S. Augustini, & neg. conf. de justificatione literaliter, seu formaliter accepta in-